9

quinze

1178

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Ego Radulfus dn̄s Cociaci.

Notum fieri volo tam Praesentibus quam futuris. Quod
Amore dei ductus Et desiderio Salutis meae et praedecessorum
Pariterque heredum meorum recognovi & Concessi in perpetuum
Elemosinas et aisentias quas avus meus Thomas et Ingelrannus
Pater Meus contulerunt fratribus praemonstratae Ecclesiae
Perpetuo possidendas. videlicet quidquid Iuris vel consuetudinis
habebat avus Meus Praedictus in loco qui Praemonstratus dicitur
Remisit fratribus ibidem Deo Servientibus Et Servituris. vallis
Etiam omnes praemonstrato adiacentes Et Proclivia Montium circum
vallis pportans Ex quibus fratres partem sartaverant et Residuum
se posse sartare asserebant, sed obtinui apud eos quod de cetero
In eis non sartabitur, sed Nemus vallium et proclivium ad opus
aedificiorum suorum et aliarum Necessitatum suarum retinebunt.
Concessit Etiam Idem avus Meus eis usuarium de mortuo Nemore
In foresta de Voois et pascua Animalibus suis. Dedit quoque
Ipsis Locum qui Rosieres dicitur et de propria terra sua unam
Carrucatam quae omnia praedictae Ecclesiae fratres in diebus Eiusdem
avi mei et in diebus patris Mei quiete possiderunt. Cum autem
Locus praefatus ampliari Coepisset, et per universae finis
Totius Orbis dilatari. Pater Meus qui Locum Illum plurimum
dilexit paternae Liberalitatis aemulator concessit Eiusdem Loci
fratribus terragium & decimam de Vaurin, terragium de Aenginis
terragium de Coci-villa, exceptis duobus Modiis hyemalis
annonae qui persolvuntur Ecclesiae Beatae Mariae Nogenti.
Vinarium Etiam cum Molendino iuxta Eamdem villam videlicet
Coci. feodum quoque ~~Ex parte decimae~~ et partem decimae de Vassey.
Remisit etiam Eis Winagium in omni Loco terrae suae ubi ab
aliis accipiebatur, nisi de Re quae Emeretur: ut Iterum venalis
Exponenda deferretur. Ego Itaq; qui Beneficia Et Elemosinas
avi mei sive patris mei minuere non appeto. Neque Servientes deo
Super Elemosinis sibi collatis vexari desidero: ea quae praedicta
Sunt benigne eis recognovi et concessi. et quod eis in Pace